



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXXIX. De Syndico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

Io cum consensu tamen Prælati constitutus fuisset, Prælatò mortuò, Procuratoris officium non expirare: sed Capitulari auctoritate adhuc sustineri, cum *cit.* Glossa notat Panormit. in *Clement. cit. n. 3. & 5.*

Sextò demum, re etiam non amplius integrâ, procuratoris officium finitur ipsius morte, *l. Si quis 27. §. 3. ff. de iudiciis*; quòd electa censeatur industria personæ, *Wesembec. in ff. h. c. n. 11.*



TITULUS XXXIX.

De Syndico.

SUMMARIUM.

1. *Syndici etymon & definitio:*
2. *Differentia à Procuratore & Actore.*
3. *Regulariter constituitur ab Universitate.*
4. *Ejus Officium publicum & honorificum:*
5. *Potestas eadem fere est, qua procuratoris generalis cum libera &c.*
6. *Et iisdem, quibus istius officium, licet non omnibus modis finitur.*

Syndicus, à Græca voce *συνδικος*, causam, quæ in iudicio agitur, sive iudicium ipsum denotante sic dictus, est procurator Universitatis, sive alius, hominum in Civili vel Ecclesiastica societate viventium, iure vel Consuetudine approbatæ communitatis, ut sunt Civitates, Oppida, Ecclesiæ, Monasteria, Collegia studiosorum, mercatorum, opificum: qui, si ad administranda huiusmodi communitatis bona & negotia extra iudicium pertractanda, Universitatum administratores, curatores Civitatum, *Rubric. & text. ff. de Administr. rerum ad civit. & Ecclesiarum Oeconomi* vocantur, *cas. Quia in quibusdam 4. dist.*

89. §. c. Cum vos 4. de Offic. Ord. Si verò ad ejus causas & lites in iudicio prosequendas constituatur, Syndici nuncupantur, *Rubric. h. c. & c. Cum venissent. 2. de In integ. restit. Vallenf. h. c. n. 3.* Unde

Syndicus, licet Procurator & Actor etiam ipse vocetur, *c. Quia 7. de Procurat. §. 1. §. 1. ibi, Actorem sive Syndicum ff. Quod cuiusque univers. & utriusque munere fungatur: ab utroque tamen multum, & à procuratore quidem, propriè & secundum communem usum accepto, differt; quòd iste à privatis, & in privatis causis: Syndicus autem ab universitate aliqua vel collegio, ad publicas & communes causas in iudicio pertractandas constituatur; cum enim Universitas & collegium ipsum nec convenire nec conveniri in iudicio possit, *l. Sicne 7. §. 2. ff. eadem Rubr. necessarium omnino est, ut constituatur Syndicus, qui eam representet, ejusque causas in iudicio prosequatur, Wesembec. in ff. eadem Rubr. n. 8.* ab actore verò publico; quòd iste specialiter ad unam tantum alteramve aut certas quasdam causas: Syndicus autem generaliter ad omnes, præsentis & futuras, Universitatis causas constituatur, *Holtienlis in Summa h. c. n. 7. & 9.**

Consti-

3. Constitui autem Syndicus, specialibus locorum statutis & Consuetudinibus seclusis, potest ab ipsa Universitate, *e. Cum venissent cit. V. Si iudices*; quia, *Quod omnes*, sive Universitatem, tangit, ab omnibus, sive ipsa Universitate, debet approbari, Regula est 29. in 6. Ab universitate autem constitutus censetur, si constituatur majori numero suffragiorum ex presentibus duabus saltem partibus eorum, qui in ea suffragii jus habent, *l. Nulli 3. ff. Quod cuiusque Universit.* In Ecclesiis & Monasteriis à capitulo vel conventu, sicut super bonis ab Episcopali vel Abbatiali mensa liberè, ita super bonis & juribus communibus, hoc ipso, quòd istorum administratio de Jure Prælati competat, *can. Nullam 18. q. 2. c. e. Edoceri 21. de Rescriptis*, à Prælato cum capitulo vel conventus consensu constitui potest. Utriusque autem consensu legitime constitutus à Prælato solo revocari valet; quia Ecclesiæ vel monasterii causas tractare per seipsum potest, *Panormit. in c. Unic. hic n. 6. & Pirrhing hic n. 3.*
4. Porro Syndici legitime constituti officium non, ut procuratoris, merè privatum, sed publicum & honorificum est; cum totius Universitatis defensionem spectet. Potestas autem, si mandatò non restringatur aut extendatur, eadem ferè est, quæ procuratoris cum libera sive plena agendi potestate constituti; comparatur enim tutoribus, agendi potestatem liberam obtinentibus: & propterea in negotiis Universitatis istius nomine iuramentum deferre vel præstare, super ejus rebus dubiis & controversis transigere & pleraque alia, speciale mandatum potestatis, expedire potest, *Gaill. Lib. 2. observat. 72. n. 11.* Donare tamen & debitum liquidum remittere, sicut Tutores, sic etiam ipse nequit; quia hujusmodi re-

missio & donatio speciem habet jactationis & dilapidationis, administratores mandatum quantumcunque generale & cum libera obtinentibus, non permittit, *l. Preses 12. C. de Procurat.* ubi Baldus & Bruneman. n. 5. Ex mutui etiam contractu, ab administratore suo nomine celebrato, civitas & Ecclesia aliter non obligatur, quàm, si pecuniam mutuo acceptam in suam utilitatem veram sive in eam causam, in quam Ecclesia vel civitas de bonis suis tantundem fuisse impetura, impensam ostendatur, *arg. l. in pupillo 47. §. 1. ff. de Solut.* Menochius *de Arbitr. casu 432. n. 28. & Haenkelius Tom. 5. de J. & J. Tract. 2. n. 47. c.* Quod statuendi specialis ratio fuit; ut, mutui accipiendi facilitate & licentiâ coercitæ, civitates & Ecclesiæ in rebus suis damnnum non facile paterentur. Quæ de re ex instituto agemus *Lib. 3. Tit. 23. a. n. 20.*

Demum Syndicatus, sive legitime constituti Syndici, ferè ut procuratoris officium & potestas finitur mutuo consensu ipsius & Universitatis, hujus revocatione, renuntiatione & morte ipsius Syndici; non etiam personarum eum constituentium; cum universitas, cujus nomine est constitutus, manere & perdurare intelligatur, *l. Sicut 7. §. 2. ff. Quod cuiusque Universit.* Neque etiam finitâ instantiâ cum enim ad Universitatis causas generaliter constitutus sit, etiam appellationes ejus nomine interpositas, instar procuratoris ad lites generaliter constituti, prosequi debet, per ea, quæ in *c. Non in justè 14. de Procurat.* tradit Panormitanum. 5.

✠ (X) ✠
✠